

- 25 Mettensis antistes¹, profugus diu,
 Papam secutus, plurima pertulit;
 Sed digna sese fecit is, qui
 Non tulit igne domum peruri,
 Cum civitates Atthila Gallicas
 30 Flammis cremaret — de Stephano loquor,
 Servare qui novit suam rem,
 Pontificemque suum reposit.
 Tres subrogatos statuit episcopos
 Et tunc reduxit pontificem suum.
 35 Defunctus est nunc, alterumque
 Mater ei similem tuetur².
 Nunc usque lugens Herbipolis sedet,
 Antistitem deflens venerabilem³,
 Quod functus est exul, nec eius
 40 Vel cineres habuit sepultos.
 Et civitatem Vangionum vides:
 Vivente sponso⁴ servit adultero.
 Scissam dyocesim Timavi
 Vir suus hinc tenet, hinc adulter.
 45 Longum tot urbes quam trahit dicere:
 Diffusus erret nempe quis angulus?
 Est orbe toto tam remotus,
 Qui nichil hac heresi laboret⁵?
 Mirum nec est, quod de capitis malo
 50 Sic omne corpus debile redditur;
 Cum scinditur Romana sedes,
 Non erit orbis in unitate.
 Tu quoque modo, Leodium sedes,
 Quondam meus flos, dulce decus meum⁶,
 55 Urbs Davidis, mons altus, hortus
 Deliciosus, ager que⁷ plenus,
 Quantum decoris deperiit tui,
 Heinricus ex quo carne solutus est⁸,
 Insigne sceptrum, virga fortis,
 60 Et baculus mihi gloriosus!
 Si viveret nunc, de tenebris lupi
 Non prodiissent, qui modo cursitant,
 Nec publicam cepisset arcem,
 Qui merito fuit inde pulsus.
 65 Vestitus⁹ abba, pelle lupus, modo
 Cum fuste longo servat ovilia,
 Verus qui¹⁰ pastor vult videri,
 Sed lupus ipse, lupis iocundat.

1) Herimannus (1073—1090). 2) Popponem (1090—1103). 3) Adalberonem. 4) Adalberto (1070—1107). 5) 'laboretur' cod. 6) Hor. Carm. 1, 2 'dulce decus meum'. 7) 'ager' cod. 8) Im Jahre 1091. 9) 'vestibus' invito metro. Correxerit Bethmann. 10) 'quia' cod.